

2

DISSERTATIO INAVGURALIS MEDICA  
**CORDIS  
MORBOS PROPRIOS  
IN TABVLA EXHIBENS.**

---

QVAM  
FAVENTE SVMMO NVMINE  
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
PRAESIDE  
VIRO EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO DOCTISSIMO  
**DN. FRID. CHRIST. IVNCKERO**  
PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE  
HVIVSQVE PROFESSORE PVBL. ORDIN. PAEDAGOGII REGII  
AC ORPHANOTROPHEI HALENS. MEDICO  
PRACTICO CONSTITVTO

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA  
PRO  
**GRADV DOCTORIS**  
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS  
MORE MAIORVM RITE OBTINENDIS  
D. XXIII. FEBR. A. S. R. M D C CLXIII.  
PLACIDAE ERVITORVM DISQUISITIONI SVBMITTIT  
AVCTOR  
**GEORG CHRISTIAN BÖCKMANN**  
FLENOPOLITANVS.

HALAE AD SALAM AERE SCHNEIDERIANO.

---





§. I.

**S**i viscerum humani corporis vnum prae reliquis nobilissimum dici meretur, cor id esse, facile nobiscum fatebitur, qui prima tantum artis medicae elementa extremis, quod aiunt, labris degustare non designatus fuerit. Nam adeo mirifica huius organi reperitur structura & necessaria obseruantur actio, ut leuissima eius laesio nequeat non grauissimos inferre morbos. Quo magis sonica autem, consensu omnium Medicorum, reputantur damna ex huius nobilissimi visceris malis in corpus redundantia, eo diligentiores postu-

A 2

lant



lant inquisitionem cordis adfectus. Duplicis vero in gene-  
re indolis sunt huius principalis organi morbi; alii com-  
munes, alii proprii. In plurimis scilicet morbis cor simul  
in consensum trahitur, adeo ut praeter naturalem intret mo-  
tum: quo respectu e. g. amplissima febrium familia, ad  
cordis morbos numerari potest. Non enim fieri valet non,  
quin laesia maiori paullulum in gradu corporis partibus,  
laedatur simul primaria vitalis actio a corde dependens.  
Sed has communes afflictiones, in quibus dictum saepius  
viscus vel vna cum aliis humanae machinae organis affici-  
tur, vel ex caussis in fluidis vniuersaliter magis peccantibus  
aegrotat, in praesentiarum pertractare non animus est.  
Constituimus potius speciminis loco morbos cordis proprios  
seu illos, ybi hoc viscus ipsum praeter naturaliter constitutum  
deprehenditur, in praesenti dissertatione pro ingenii mo-  
dulo disquirere. Summum Numen haec nostra conamina  
fortunata esse iubeat. Nos de reliquo ea spe solamur, Te,  
B. L. hunc conatum fauente animo fore acceptum, id  
quod humaniter rogamus.

## §. II.

Dum itaque morbos cordis proprios perlustrare  
propositum est, omnia illa nonsolum consideranda veniunt,  
quae statum praeter naturalem tam solidarum quam fluida-  
rum

rum huius visceris partium inuoluunt, sed etiam situs praeternalis, deformis & monstrofa structura, nec non concretiones cordis cum partibus adiacentibus eatenus perpendiculariter debent, quatenus schema inducunt morbosum.

### §. III.

Structuram cordis esse musculosam, ex fibris rectis, spiralibus, arcuatis, obliquis & transuersis compositam, ramosisque appendicibus ita inter se coniunctam, ut nunquam absque laceratione separari possit, anatome evincit. Ideoque imprimis dijudicandum venit, an non cor iisdem morbis ac alii musculi sit obnoxium. Nunc ex pathologia constat, musculos spasmis, conuulsionibus, rigiditate, ossificatione, atonia & paralyysi saepius laborare: in quantum itaque hi morbi de corde praedicari valeant, indagatione dignum putamus.

### §. IV.

Admodum faciles sunt nonnulli in admittendo cordis spasmo, sicuti scripta quaedam academica probant: verum enim vero si rem penitus consideramus, vix ac ne vix quidem huic sententiae subscribere licebit. Intelligunt enim recentiores auctores sub vero spasmo constrictionem muscularum, quae immobilitatem membra adficti simul inducit:

A 3



ducit: sed talem constrictiōnē de corde statuere duo grauiſſima argumenta prohibent. Primo immobilitas huius visceris etiam ad pauca tantummodo momenta durans, fine ſumma cœconomiae vitalis perturbatione, cogitari nequit. Deinde fasciculi fibrarum tam diuersam habent directionem, ut diuersa ſtrata fibroſa in agendo ſibi iſpis limites ponant ac ſpasticam contractionem impediant. Ex contraria autem parte ſpasmus cordis probabilem reddit accusatio aegrotantium non infrequens, quod ſenſum dolorificum cor compri-mentem perciperent, germ. ſie fühleten wie es das Herz ergreiffe und recht halte; ſed in hac quaerela vel ſenſum constrictiōnis aliarum partium thoraciſ cum dolore huius visceris confundunt, vel ſi etiam in ipſo corde ingrata contraetio re vera ſentitur, tamen niſus tantummodo ſpasticus & non verus perfectus ſpasmus concedi potest.

### §. V.

Quod conuulſionem attinet, vtique afferimus, cor non ſolum poſſe, ſed etiam actu ſaepius conuelli; quem admodum haec conuulſio ſub nomine palpitationis in ſchola medica ſatis cognita eſt. Duplicis vero ſpeciei palpitario obſeruatur, dum vel auriculae, vel ventriculi cordis talem exhibit. Prior species, quam nonnulli tremonem cordis vocant, fit ita, ut auriculae inter duas pulsationes ventricu-  
lorum

\* \* \* \* \*

forum ordinarias motum extraordinarium subeant. Equidem ex physiologia cognitum est, auriculas in statu naturali sub diastole ventriculorum his sanguinem contractione adfundere, nullum vero motum ab extra percipiendum edere; in praesenti tamen casu praeternaturali modo se contrahunt & sensibiliter palpitant. Ipsis ventriculis hanc palpitationem adscribi non posse, inde liquet, quia hi pulsationes ordinarias & praeternaturales tremulationes illico subsequentes vel potius intercedentes simul praestare nequeunt, dum contractionem suam in pulsatione ordinaria perfecerunt. Posterior palpitationis species vehemens, concussatoria & pulsativa deprehenditur, ac ab ipsis cordis ventriculis absolvitur. Actiones hae praeternaturales ventriculorum, ob copiam fibrarum robustarum, tanta vi peraguntur, ut nonsolum capilli capitis & indumenta, collo adiacentia, inde moueri videantur, ipseque pulsus vehemens in carpo percipiatur, sed etiam pulsationes ab adstantibus audiri possint. **IMO FORESTVS Lib. 17. obseru.** *I.* refert palpitationem adeo vehementem, vt extra domum a transuentibus auditu percipi potuerit. Plures etiam auctores, alias fide digni, renunciant palpitationem eum in gradum violentiam, quae costas proxime adiacentes extra locum protrusisset, & plane effregisset: vid. **STEPH. BLANCARDVS in anatomia practica, obseru.** *VIII,* pag. 13. **ANGEL. VICTORIVS Conf.** 97. pag. 415.

SCHEIN-



SCHENCKIVS *Lib. II. sub titulo de palpitat.* pag. 275. seq.  
 Sed recentiores obseruationes has relationes nondum confir-  
 mauerunt; quamquam igitur WINSLOW *Tom IV Expos.*  
*anat. de la structure du corps humain,* p. m. 109. situm  
 apicis cordis adeo vicinum costis describit, ut eas attinge-  
 re valeat: tamen merito dubitamus, an vis huius allisionis  
 tanti valoris sit, qualis ad luxationem vel fracturam costa-  
 rum requiritur. Caussae fontici huius mali sunt diuersae  
 & praecipuae sequentes: plethora commota, impetuosus  
 liquidi neruei influxus, obstrukciones vasorum maiorum, vi-  
 tiosa conformatio auricularum vel ventriculorum, excrescen-  
 tiae, hydrops pericardii, aneurismata, reliquie morbi cor-  
 dis, postea pertractandi. Nimis sane longum esset, si mod-  
 dum fiendi, secundum quem dictae caussae palpitationem  
 producunt, specialius explicare vellem, sufficit notare, quod  
 omnes demum in eo inter se conueniant, ut vel ventricu-  
 los, vel auriculas cordis ad violentiam contractionem subeun-  
 dam irritent.

### §. VI.

Fibram muscularam vel nimis cohaerentem, vel ni-  
 mis laxam in statu praeternaturali saepius fieri, ex doctrina  
 pathologica patet. Si fibrae magis cohaerent, quam pro-  
 naturali constituzione debebant, rigiditas oritur; illa contra  
 fibra-

fibrarum cohaesio, qua minori gradu combinatae sunt, quam ad sanitatem conuenit, opponitur praecedenti & nomine attoniae venit. Vtique malo fibrae cordis etiam adfliguntur. Iam naturaliter pro diuersitate aetatis magnum discrimen obseruatur; per infantiam fibrae cordis sunt molles, flexibiles & delicatae; crescente aetate magis aridae, duraeque; in decrepita exsiccatae prorsus euadunt: adhuc magis vero praeternaturalis constitutio tam rigida, quam laxa, in sectionibus cadauerum admodum diuersa deprehenditur. E.g. *BAGLIVIUS in Operibus, edit. Lugduni MDCCX, pag. 414.* commemorat, se in nonagenario, naturali fere morte extinto, cor durum & exsiccatum adinstar tabulae inuenisse, quod cultro vix potuisset scindi. Plerumque rigiditas nimia morbosā successiue degenerat in cartilagineam & ossam naturam; sicuti de cordis ossificatione plura exempla relata dederunt *BLANCARDVS l c. Obseruat. VIII.* nec non *Obseruat XCIX. A. BERNHARDVS WINKLERVS in dissert. de lithiasi corporis humani.* Quamquam etiam nonnulli anatomicorum sint, qui vitiosam hanc degenerationem potius a liquidorum vitio, quam solidorum rigescientia oriri iudicant: probabiliter autem duplex hoc vitium simul ad indurationem perficiendam concurrit. Atonia cordis passim quoque ab auctoribus notata legitur, & imprimis *LANCISIVS in Tractatu de Jubitaneis mortibus,* laxitatis huius visceris men-

B

tio-



tionem fecit. De reliquo habemus persuasum, rigiditatem & atoniam cordis multo frequentiores esse morbos, quam vulgo putatur.

### §. VII.

Quando actio muscularis ob impeditum influxum liquidi vel neruei, vel arteriosi, vel vtriusque simul, nullo voluntatis nixu superanda perit, dicemus adesse paralyсин. Haec vel perfecta, vel imperfecta vocatur; prout motus ac sensus, vel in totum vel ex parte sufflaminantur. Si sanguis in venis maioribus cauis & pulmonalibus quocunque modo ita impeditur, ut ventriculos influere plane nequeat, paralyсин cordis quidem perfecta, sed subito lethalis originem sumit. Alteram vero paralyseos speciem cordi magis competere censemus, nimirum illam imperfectam, quae ab impedito fluidi neruei influxu dependet. Quando scilicet nerui a pari vago vel intercostali ad cor abeuntur, licet non insignes sint, vel obstruantur, vel comprimuntur, actio cordis statim notabiliter debilitatur, id quod ligature horum neruorum in viuis animalibus factae abunde probauerunt. Haec imperfecta paralyсин, a vitioso nimirum spirituum animalium motu nata, per aliquot temporis spatium salua vita durare potest; teste HEISTERO, qui in *dissertat. de ratione pa-*

*paralysis anatomica*, § LXXIX, paralyticam cordis adflictionem quoque statuit.

### §. VIII.

Hactenus de corde ut musculo aegrotante. Ast mirabilis hic musculus duobus constat ventriculis, dextro, in adultis certe minus robusto, & sinistro, quorum cuique opposita est auricula, superiori maior & spatioseior, inferiori magis angusta. In his cavitatibus sanguinem coagulatum, polypos, nodulos osseos, lapides, calculos, flatus & vermes fuisse deprehensos, obseruatores medici memoriae commendauerunt: operae iraque pretium erit, ut de his praeternaturalibus morbos in corde contentis pauca disputationemus.

### §. IX.

Saepissime sanguinem coagulatum in ventriculis cordis stagnare, in vulgus notum est. Hic vero rarissime tamquam causa morbifica considerari potest, quia plerumque, si non semper, post mortem ex sanguine refrigerato coalescit. Aliter vero res se habet cum polypo. Fuerunt quidem non pauci Medici, qui cum KERRINGIO in obseruat. *anatom* polyporum existentiam plane denegauerunt; verum enim vero inconsultum est in dubium vocare experientiam tam multorum virorum fide dignissimorum ac per-



spicacissimorum, TULPII, BARTHOLINI, MALPIGHII, SCHENCKII, KIRSTENII, WEPFFERI, PEYERI, PECHLINI, HARDERI, LOWWERI, VATERI, WEDELII, HOFFMANNI, HAMBERGERI, HALLERI, aliorum, qui veros ac genuinos polypos in corde se obseruasse, omni asseueratione affirmant. Causamus modo ne in polypo agnoscendo nimis simus faciles: quaevis enim coagula imperito praesentiam polypi imponere possunt, quum tamen ad talen semper concretum aliquod fibrosum & membranaceum requiritur. Sub varia admodum facie cordis polypi adparere solent: figura quidem vna eademque omnium non est, sed iuxta cordis & vasorum continentium cavitates varie ludit: vnde factum est, ut polypi imaginacioni nimium indulgentibus variarum rerum imagines exhibuerint. Hinc formam oui columbini, ventriculi humani, dactyli, vuulae, pyri, ranae caudatae & placentularum prae se ferunt: frequentissimi autem sunt polypi inaequales, sibimetipsis dissimiles, cirrhati, laceri, multis scissuris, acetabulis, seu toridem flagellis & brachiis praediti, quibus vasorum in cordis ventriculos hiantium cavitatem replet, ac non raro adeo profunde se insinuant, vt in modum ipsorum vasorum sanguiferorum diuariati fuerint deprehensi. Ut autem figura variant, ita etiam colore & magnitudine. Plerumque rutilo, sanguineo & nigro colore gaudent; saepius carnis colorem referunt; interdum album,

\* \* \* \* \*

bum, raro gryseum & rarissime flauum habuisse legimus.  
Ratione magnitudinis iam minores obseruantur, iam maiores.  
Interdum accidit, vt inter cordis claustra teneantur polypi,  
huiusque terminis circumscribantur; saepius autem extra  
cordis pomoeria excurrunt, altiusque se in vasa adiacentia  
extendunt. Ita *Ephem. Natur. Curios. Dec. IIIda anno VIII.*  
*obseruat.* 129. referunt polypum dextrae cordis auriculae im-  
plantatum, eum in modum diuaricantem, vt hepatis substan-  
tiam subiret, ibidemque dimisso suos ramulos partim in  
venam portae, partim in cauae furculos immitteret, atque  
per venas iugulares & vertebrales ad cranium vsque se ex-  
porrigeret.

### §. X.

Ceterum de structura polypi notatu dignum est, in  
eodem vasa veluti propria nonnumquam obseruari; sic enim  
DIMERBROECK *Anat. L. 2.* in hominis longo asthmate de-  
tenti dextro cordis ventriculo se obseruasse scribit corpus  
quoddam insolitum, album, firmum, quod nulla digitorum  
frictione frangi potuit, longitudinis paruae spithamea, cra-  
fisitie fere minimi digiti, membrana peculiari obuolutum,  
inter quam et ipsum cor duo vasa sanguine turgida ab uno  
latere, a summo ad imum deferebantur. Idem LOWERVS  
in tractatu de corde testatur, se huiusmodi concretiones

B 3

vsque



vsque adeo in carnes mutatas vidisse, vt plurimas venas fi-  
brasque in iis adverterit, quae in frustula dissectae sanguinem non aliter, quam si pars aliqua corporis incideretur,  
recentem effuderunt. Nunc inquisitione opus est, quo pa-  
cto polypum cordis produci, sit probabile? quam rem  
equidem, vtut satis abstrusam, paucis expediam. Fibrae  
in polypo compactae ortum aliunde habere nequeunt, quam  
ex gelatinosis sanguinis particulis, quae iuxta se inuicem  
quiescentes de fluidis solidae redundunt, & sibi per ramu-  
los suos implicitae in fibrosam & carneam substantiam con-  
crescant. Huiusmodi enim conglomeratae particulae, in san-  
guinis massa productae, fluorem eius impediunt, primaque  
praebent stamina, vt ex facili eorum implexu cordis &  
vasorum polypi generentur. Nam per vasā libere propelli  
nequeunt, quia propter specificam grauitatem & gelatino-  
sam indolem, ad coniunctionem maxime aptam, hic illic pa-  
rietibus adhaerent. Intra cor ipsum etiam facilime subsi-  
stunt, dum vel lacertulis carneis, vel valuulis arteriosis ve-  
nosisque implicantur, ibidemque remorantes, continuo ac  
successiō particularum gelatinosarum accessu & assimilatio-  
ne, quotidie augmentum capiunt, compressioneque sanguini-  
nis transeuntis & reactione parietum, ita compinguntur, vt  
in firmos fibrarum fasciculos componantur. Successiū ita-  
que incrementis nouae fibrae praexistentibus adduntur, sae-  
pius-

piusque continuato extremonum ductu per patentia cordis vasa, longe lateque crescunt, & propriis quasi vasis donantur, prout nimirum sanguis, inter concretionem fibrarum, per harum interstitia varias sibi vias atque canales parauit. Hanc theoriam illustrant placenta cruoris, membrana sanguinea RUVY SCHII, membrana ex muco nata ALBINI, serum, gluten. Nonnulli quoque pathologi semper solutionem continui, in parte, cui polypus adhaeret, supponendam esse volunt, confer. PLATERVS *Prax. med.* Tom. 3. cap. 3. verum hanc legem non vniuersalem esse, statim hoc vnico argumento patet, quod pauciores polypi cordis parietibus adnati deprehendantur, potiusque fine impedimentoo extrahi possint.

### §. XI.

Nodulos quoque osseos, lapides ac calculos in cordis ventriculis auriculisque contineri, multis suffragiis extra dubium positum est. Genita haec concrementa diuersae figurae & magnitudinis descripsierunt KERKRINGIVS in *spicil. anatomi. obseruat.* 78. HORSTIVS Lib. 4. Tom. 2. obs. 47. ZACVT. LVSITANVS *Prax. admiranda.* Lib. I obs. 141. ELEGNY Zod. Gall. 1680. Iun. obs. I. BARTHOLINVS in *Act. Hafniens.* c. 1. b. 50. c. 2. b. 45. Sicuti enim fibrae molliores facile in corpus polyposum concrescunt; ita ramen-

ta



ta rigidiora magis terrea in calculos coeunt & lapidescunt.  
Paruae enim moleculae crassae congestae magis magisque simili materia, nouoque pabulo, primo sub paruis quibusdam micis, dein maioribus frustis crustisque concrescunt, donec tandem nullo intercedente glutine, per immediatum dictarum partium contactum, talia dura corpora sunt.

### §. XII.

Nonne vero plane fabulosum est, fatus in corde reperiri? Non, recepracula enim sanguinis a flatuum tyranide haud sunt immunita. Cor ipsum flatuum domicilium, hydroponici cuiusdam sectio docuit, quam *SCHACHERVS in propemptico quodam inaugurali Lipsiae MDCCXXIII. edito,* publicauit. Nimirum vir quidam ex asthmate in tumorem pedum oedematosum, hydrocolem, ascitem ac pectoris hydroponem delapsus, post obitum exhibuit cor naturali fere duplo maius & auriculam dextram amplitudine naturalem facile quinques superantem. Insolitae vtriusque magnitudinis cauissimum peruestigauerunt, ex dextro cordis ventriculo inciso fatus copiosissimi non sine strepitu prouenerunt, sanguine paucocoque coagulato tum in ventriculo, tum in auricula comparente. Non absimilem casum *PECHLINVS in Obseru. Physico-med. obs. 57. pag. 135.* commemorat, vbi cadauer hominis, a multis ventris doloribus, pectorisque angustiis tandem oppressi, cul-

cultro anatomico perscrutatum sifit, quod flatulentiam cordis manifeste edocuit. Primum scilicet, aperto abdome, eruperant ingenti copia flatus, cameram foedo atque impudico odore replenes. Intestina deinde omnia hinc inde, ut fieri solet, turgidula deprehensa, ventriculusque admodum fuit inflatus. Secundo vero thorace magnitudo cordis vel duabus partibus naturali maior curiosos aduocavit; hinc polypum aut copiosos sanguinis grumos adfuturos putauerunt, ventriculum autem vtrumque omni sanguine vacuum, sed a copioso flatu in immensum adauertum, deprehenderunt, imprimis vero dextrum illum, vrpote cuius cauitas debiliorque paries viscosi flatus lumen facilius admisit; eiusdem ventriculi auricula & ipsa multo flatu tumefacta, sociam venam continuata flatuum serie, insolitaque tensione praegnantem, conspectui praebuit, quid? quod in toto corpore venae, paissim flatibus eleuatae, mirificam succi purpurei fluidique aërei alternationem oculis ostenderunt. Sic RUVSCHIVS *in epistol. anatom. problemat. XVI.* in cadavere mulieris, subita morte defunctae, cor deprehendit stupenda magnitudine distentum a solo aëre, intus concluso, & sanguine omnino vacuum, quod cultelli cuspide iactum, statim aëre expulso, desedit. Ex his adductis relationibus exsistentia flatulentiae in corde satis clare patet, sed veritas rationis nunc inequistiganda venit. Haec nonnullis admodum obscura videtur, nihil vero monstri alit, farrago enim experimentorum euincit, hu-

C

mo-



mores corporis humani haud paucam' quantitatem aëris in mixtione sua continere; hic autem liber factus primariam flatum materiam constituit. Nam flatulentia est coaceruatio vaporum, qui ex aëre & nimis resoluto humore constant; mixtura igitur fluidorum excessu modo sub quibusdam circumstantiis resoluta, moleculae aëreæ & serosæ coeunt, hacque ratione flatus generantur. Ad talem vero intimorem & plane praeternaturalē humorum resolutionem requiritur, ut motus progressiū paullulum impediatur, intestimus vero admodum excedens euadat; quae determinationes motuum non facile occurunt, quare etiam flatulentia in volumine vasorum thalamisque cordis rara avis est. Verum enim vero vis cordis summa dubium excitat, vt potē quae nullam flatuum in cavitatibus accumulatiōnē concedere videtur; in hoc autem casu supponenda erit debilitata cordis actio, quam elasticitas flatuum, ex consortio fluidi aërei & aquosi satis quoque magna, vincit. Haec fusius ut persequamur praesentis instituti ratio interdicit.

### §. XIII.

Docentibus variis obseruationibus afferere etiam debemus, vermes interdum cor molestare & vellificare. Testatur enim LOWERVS in *Traictatu de corde* pag. 207. se saepenumero vermes, intra capsulam cordis genitos, vidisse. Cafum similem allegat IOH. HEBENSTREIT *Lib. de Peste*, principem nempe quen-

quendam ex morbi saeuitia periisse, in cuius cadauere vermis albus praecipue rostello eoque corneo praeditus, cordique adhaerens deprehensus fuit. Curiosa talis obseruatio quoque legitur in *Ephem. acad. natur. curiosor. anno IX.* de iuuenie in confictu lethaliter vulnerato, in sinistro abdominis latere, qui die vigesimo obiit: inspectis reliquis visceribus, cum ad cor deuentum esset, illud quidem optime ac naturaliter constitutum fuit, dissectis vero eius ventriculis, non solum copia atri ac congrumati sanguinis, verum etiam duo vermes in iisdem latitantes, oculis, auribus ac proboscide instructi, colore albi, dimidiumque digitum longi, ambo tamen mortui, oculis adstantium exhibiti fuerunt. Non minus videre contigit PETRO a CASTRO in Cantabria sub epidemica constitutione, in qua post ingentem aegrotantium stragem, qui omnes conuulsi cum frequentissima ac ferme continua cordis palpitatione moriebantur, dissectis cadaueribus in singulis vermem, magnitudine minimo digito aequalem, capsulae cordis affixum inuenit, quem curiosum casum *Thesauro suo practico inservit BONETVS Tom. II. p. 237.* Huc pertinet etiam sequens animaduersio, quam SCHENCKIUS in *obseruat. medicinal.* refert, nimirum ciuem florentinum morte subita corruptum fuisse, in cuius aperto cadauere vermis adhuc viuens in corde praeter omnium exspectationem repertus fuit. Plures adhuc medici, quibus fidem denegare nefas fuerit, praesentiam vermium in corde comprobant, qui propriis oculis



eosdem viderunt, inter quos praecipue est TH. BARTHOLINVS,  
 in cuius *anatomia, opuscul. & obseruationibus anatom rario-*  
*ribus* reliquos vide, quos ob breuitatis studium silentio praec-  
tereo.

§. XIV.

Quas ergo origines habeant vermes cordis, tribus, vt  
 aiunt, verbis indagandum est. Caussa communis vernium impuritas lenita, dulcis, & ad putredinem vel inclinans vel in eandem iam deducta merito habetur; ad hanc vero seminium verminosum accedere debet, eos enim sicuti alia animalia ex ouulo sui generis excludi, experimentis physicis abunde confirmatum est. Hoc seminium vel vehiculo alimentorum in massam sanguineam vehitur, vel per inspirationem in bronchia pulmonum attrahitur; quid? quod nonnulli haud dubitant asserere, aerem vermiculis, atomorum instar, scatere & per pores cutis intrare, quae tamen sententia variis premitur difficultibus. Itaque veritati consentaneum est, vermes in nostro corpore ex ouulo, administrante materia putrescente, generari. Hinc si in corde deprehenduntur, similem agnoscunt originem, nimirum materiae putredinosae ibidem collectae, accedit cum sanguinis flumine seminium verminosum, & ita generatio horum animalculorum producitur. Praecipue autem aerem pestiferum innumeris vermiculis repletum esse solide docuit

KIR-

KIRCHERVS in *Scrut. Pest. Se& Et. I. cap. 7. 8.* quare etiam in visceribus peste mortuorum frequentissime deprehendi solent. Alia animalia, vermis multo seueriora, serpentes, lacertae, ranae, in cordis cavitatibus fuisse reperta, dubium est certe, paeneque incredibile, quamvis nos non fugiat, esse autores, qui talia relata dederunt, sed fidem penes eosdem relinquimus.

### §. XV.

Sufficiente hoc usque de praeternaturalibus in corde contentis dicta. Porro disquirendum esse iudicamus, an cor quoque ex virtute propriorum vasorum aegrotare possit? Anatome docet carnes cordis tam arteriis quam venis gaudere propriis, vasorum coronariorum nomine cognitis, quae Perillust. de HALLER in *dissert. de vasis cordis propriis, Goettingae MDCCXXXVII. edita*, secundum omnem distributionem accurate descripsit. Primi horum vasorum rami sunt maiores, deinde fiunt minores, tandem minimi evadunt, tuncque arteriosi in arterias serosas & lymphaticas abeunt. Possibilitas ergo non solum patet, quod in his ultimis vasibus inflammationes, morbiique has consequentes oriri valeant, sed etiam tristis experientia veram horum morborum, plerumque lethalium, existentiam confirmat, quemadmodum postea indicabimus.

C 3

### §. XVI.



## §. XVI.

Priusquam tamen de illis speciatim sermonem instituimus, antea notamus raritatem harum afflictionum, quarum scilicet numerus ad numerum inflammationum in aliis visceribus sedem figentium, rationem fere nullam habet. Praesidia autem, quae benignissimus CREATOR ex dulcissimo amore ad avertendam frequentiam horum morborum pericolosissimorum fecit, notatu & gratiis per quam sunt digna: euntur nimirum stases saepe numero sequentibus tribus praesidiis. Primo sanguinis stadium in vasis coronariis omnium est breuissimum & circuitus intra quodlibet duorum pulsuum interuallum absolvitur, quare fluida sub celerrima hac actione difficulter stagnare queunt. Secundo fontes ita dicti THEBESII praesentes efficiunt, vt sanguis non tam facile in venis cordis coronaris, & hinc quoque raro in extremitatibus arteriarum subsistere possit. Tertio crebrae anastomoses ramos arteriarum coronarium coniungentes incipientis staseos solutionem promouent, hoc enim mechanismo stases factae iterum retrahuntur in ramos maiores & ita expediuntur. His auxiliis omnibus itaque conspirantibus vera cordis inflammatio plerumque feliciter praecauetur.

## §. XVII.

## §. XVII.

Licet vero rarissime cordis inflammationes contingent, eas tamen re vera obseruatas esse, cum Perillust. de HALLER l. c. plures scriptores medici confirmant. Quae vero sint caussae singularis huius inflammationis speciei? merito quaeritur. Equidem de proxima nihil addere opus est, hanc enim stasim sanguinis in vasis minimis constituere per se constat, sed caussae remotae erunt recensendae, quae, quamquam praefidia, paragraphe praecedente dicta, adsimil. nihilo minus stasim producere valent. Praeprimis ad has pertinet peripneumonia, teste iam HIPPOCRATE, qui in *Coacis praenotionibus Edit. Lutetiae Pariforum 1621. pag. 276.* totum pulmonem inflammatum cum cordis inflammatione coniungit. In peripneumonia enim libera circulatio sanguinis per pulmones impeditur, hinc thalamus dexter se exonerare nequit, ideoque etiam sanguinem ab venis coronariis aduenientein recipere non potest, ergo restagnabit & stasim producet. Ex eodem quoque fundamento humores per fontes THEBESI accedentes excludet, eoque ipso staseos origini ansa datur. Porro his caussis adnumerari debent omnia contenta praeternaturalia in cavitatibus vasisque cordis obvia, de quibus in antecedentibus disputauimus. Haec prostant vel in thalamo cordis superiore, vel in auricula dextra & sinu cava- rum, vel in auricula sinistra & diuerticulo vasorum pulmonalium, vel in thalamo cordis inferiore, vel in arteriis communi- bus,



bus, aorta scilicet & pulmonali. In singulis vero nominatarum partium, ubi deposita praeternaturalia haerent, transitum vel per cor, vel per pulmones ex parre sufflaminant, utroque simul modo circulum in vasis coronariis retardant ac intercipiunt. Denique ad inflammationem cordis multum contribuere possunt palpitationes admodum vehementes & nimis diu continuantes, spissitudo humorum, structura fibrarum praeternaturalis, concretiones cordis cum pericardio, contusiones fortiores thoracis & vulnera cor leuiter adfligentia.

### §. XVIII.

Pathologi statuunt quadruplicem inflammationis decursum, nimirum discussionem, indurationem, suppurationem & corruptionem. Ideoque exitus inflammationis cordis eodem modo variabit. Discussionem quemadmodum semper ita & in hac inflammationis specie optamus, quae tamen eo difficilius obtinetur, quo magis febris vehemens est & caussae interdum sic comparatae sunt, ut nulla plane arte remoueri queant. Per scirrum finiri, vix velocitas pulsuum, eorumque vis, per loci conditionem magna, permittunt. In suppurationem hanc inflammationem quandoquidem abire, atque abscessus & ulcera producere, nonnulli obseruatoris annotauerunt, sicuti talia exempla sequenti paragraphe adducam. Ponas denique hanc inflammationem in-

cor

corruptionem mutari, tunc gangraenam sequitur sphacelus  
& mors erit certissima.

§. XIX.

Licet igitur plures naturae scriptores cum Foresto statum cordis apostematosum & vlcerosum negent, tot tamen probatorum auctorum testimonii corroboratur, ut abscessuum vlcerumque praesentiam, in nobilissima alias hac corporis parte, plane denegare non valeamus. Pauca tantummodo ob compendii desiderium subiungemus. **FABRICIVS HILDANVS**  
*in obseruat. chirurgic. cent. II. obseruat. XXVII.* sequentem historiam morbi & sectionis, testibus ocularibus comprobata, adducit. Vir ardente febre conflictari coepit, cum asthmate, deliratione, vigiliis perennibus, siti maxima, generumque rubore, & leiporthymia sibi mutuo succedentibus: ita demum undecima morbi die vitam finiuit. Ad aptero cadavere, id in primis rarum innotuit. Pericardium scatens pure fanofo, cui velut immersum cor, magna sui parte ad utramque potissimum auriculam, partim exesum, partim etiam marcidum visebatur, quin imo materia purulenta supernam ventriculi simistri regionem iam inuaserat: insuper & ab ipso corde, dum manibus comprimeretur, fanofo quedam materia exiliit: pulmo eiusdem labis particeps, aliis visceribus a naturali statu parum immutatis.

D

S T H.



STH. BLANCARDVS *libr. cit.* tres tales casus proponit. Primus sifit virginem quatuordecim annorum, haemoptysi spumosa correptam, subitoque extinctam; huius cadauer exhibuit pulmones albi coloris, costis & diaphragmati vndique adhaerentes; cor similis fuit coloris & media ferme sui parte, quae diaphragma respicit exestum, vleerosum & putridum, nullo tamen in pericardio latice praesente. Alter casus quoque praeber virginem, sed viginti annos natam, a longo tempore pulsu intermitte, eiusque inaequalitate laborantem, quae tandem obiit; inspecto thorace, vleus in corde apparuit, quo illud ferme ad diuidium consumtum fuisse adfirmatur. Terius describit rusticum febre acuta emortuum, vbi cadavere secto cor pure scatuit, pulmone eiusdem labis partice. Plura exempla inuenies apud ZACVTVM LVSITANVM in Oper. Tom. I. Libr. II. Histor. XLI. & in Prax. admirand. Lib. I. obseru. 142. Etiam si vero in ordine huius tractationis apostemata & vlcera tamquam infelicia inflammationis consectoria, quae etiam reuera sunt, considerauerimus; neutiquam tamen nostra sententia est, ac si nullo alio modo, quam ex inflammatione oriri possint: potius iam ex instituto declaramus, alias adhuc caussas esse respiciendas, quae cor purulentum & saniosum reddunt. His adnumeramus aquam pericardii vitiosam & labem pulmonum phthisicam. Sub hydrope enim pericardii serum fit

fit tam acre, quam putridum; vtraque ergo dyscrasia fibras cordis laedet. Exulceratio porro pulmonum successiue primo pericardium & deinde viscus in illo comprehensum arrodit. Ita plenaria metamorphosis contentorum thoracis contingit, donec nimis corrumptuntur, vitaeque subsequitur finis.

### §. XX.

Nonnulla cordis praeternaturalis situm, deformitatem, monstrosam plane figuram, illiusque cum aliis partibus concretionem respicientia, adhuc sed breuissimis verbis addenda erunt; in quantum enim haec omnia quandoquidem actiones ordinarias & legitimas turbant, in tantum ad causas morborum cordis pertinent: alias magis lusum naturae denotant.

### §. XXI.

Situs dupli respectu praeternaturalis dici potest, dum cor vel ex nativitate, vel ex causa accidentalis dislocatum deprehenditur. Prioris speciei casum suppeditant *Aet&a Natur. curios. Dec. I. anno 2. obs. 76.* nimurum feminam viginti annorum, ob crimen incendii & furti decollatam, cuius pulmones diaphragmati & pleurae firmiter annexos, cor plane inuersum, ac sinistrum eius ventriculum dextram tho-

D 2

ra-



racis partem occupantem, arteriam magnam statim supra cor in viam, sed latus sinistrum, erroris sui quasi memor, redeuntem, obseruauerunt. Posterioris indolis exemplum exhibent *Acta Medicorum Berolinensium*, quae *Volum. III. pag. 10* fistunt patientem empyicum, in quo post fataliter ex suo situ quadantenus locatum animaduersum fuerit. Quamquam enim pure per paracentesin euacuato, cor in pristinum locum redire potuerit, confitetur tamen natura obstatulis paulo tardius remotis, partes pro indigentia spatii accommodare, suoque tono obfirmare etiam in coacto situ, ut demum fiat habitus.

### §. XXII.

Intuitu deformis & plane monstrosoe cordis structurae in amplissimum campum excurrere & multa de corde duplice, bifido, solida absque ventriculis, cylindrico, quadrato &c. dicere possem; sed haec limites dissertationis nostrae excludunt. Adeat qui his rarioribus obseruationibus delegatur *ZACVT. LVSITANVM, CATTIERVM, TH. BARTHOLINVM, HORSTIVM, BORELLVM & Ephemerid. Natur. curios.* Ad praesentem scopum addere conueniet, quod hae naturae variationes non tam periculosos morbos, quam potius schemata peculiaria asthmatica & singulares palpitationis species producere soleant.

### §. XXIII.

## §. XXIII.

Concretiones cordis cum partibus adiacentibus non adeo raro reperiuntur. Si cum solo pericardio concrescit, nulla grauia inde pendent symptomata. Quando autem cum pulmonibus vnitur, sequuntur anxietates praecordiorum, respirationes impeditae, phthisis, hydrops, quod assertum uno alteroue illustrabo exemplo. *Aeta Medic. Berolinens. Volum. VII pag. 81.* recensent sectionem pueris quatuor annorum nati, febre continua defuncti, in cuius cadauere praeter alia notata digna, hoc dignissimum fuit, quod substantia cordis cum pericardio, mediastino & lobis pulmonum ita in unum coaluerat, vt vix ac ne vix quidem ab inuicem, cultro anatomico separari potuerint. Imo pericardium ipsum faciem tenacis & fere cartilagineae substantiae induerat. Non minus curiosam animaduerctionem communicauit BARBECK in *dissert. de corde occulto, indeque hydrope ascite consequente, cultro anatomico in subiecto quodam deprehenso, Duisburgi ad Rhenum 1701. ventilata.* Animaduerxit dictus auctor in suo subiecto pulmones cum corde ita compactos, vt neque loborum discretionem, neque mediastini, neque pericardii vestigia, inuenient, cor saltem pulmonibus, tanquam recens nux iuglans viridi putamine, circumdataum apparuit, vt non nisi dissecto per medium pulmone visui patere potuerit.

D 3

§. XXIV.



## §. XXIV.

Tandem crepaturaे cordis mentionem facere debemus, praeſertim cum haec res breui abhinc tempore in publicis nouellis de nouo ventilata est. Nos non fugit clarissimos quosdam viros hanc crepaturam tamquam exiſten-tem aſſeruisse: ita BOHNIVS in examine vulnerum lethaliū pag. 63. ſequens exemplum in medium profert. Vir nobilis ac strenuus, aetatis conſiſtentis, habitus athletici, ſine ſymptomatibus euidentioribus ſub diaeta accuraſione viuens, uno verbo, cui ſumma ſeneceutem promiſſiſſet quilibet, ad latus vxoris repente occumbebat, cuius ſubitaneae mortis cauſa in cadauere ruptura ſinistri cordis ventriculi prope oſtium aortae, hincque cruoris ad pectus profuſio, depre- hendebatur. Similiter CHRISTIANVS VATERVS pro ru- ptura cordis teſtatur, dum in Aetiis Natur. curios. Dec. 3. anno 9. obſeruat. 164. de foemina triginta circiter annorum a praeterlabe nte curru in pectore grauiter percuſſa, & eo ipſo quoque extincta hanc relationem ſectionis publici iuriſ fecit. Inſpectione coſtas quidem ſuperiores prope ſternum, vna cum clauicula in ſinistro latere fractas, minus autem in- trorsum flexas, multo minus pericardium laefum obſeruauit: nihil ſecius tamen cordis ventrīculus dexter non procul a mucrone, vbi ſepto velut mediante futura cohaeret, vltra longitudinem vnguis ruptus fuit viſus. Attamen fatemur

nos

VIXX

nos neque possibilitatem, neque modum fiendi a priori perspicere, quomodo validissimae, arctissime implicitae & sanae cordis fibrae disiungi queant. Forsan vero status morbosus praecedens fibrosam structuram antea dilaceravit, vel individualis ventriculorum auricularumque debilitas in quibusdam subiectis praesumenda erit? Omnia idcirco deprehenduntur dubiosa ac vberiori inquisitioni commendanda.

### §. XXV.

Haec ergo sunt ea, quae in praesenti de morbis cordis propriis disputare potui. Sine dubio desiderabuntur dictorum morborum signa, sed haec maximam ad partem ita comparata sunt, ut magis generalia exsistant quam specalia; nisi ex integra historia morbi ad speciale caussam interdum concludere licet. Palpitatio cordis quidem satis ad sensus venit, signa tamen diuersarum caussarum manent obscura. Inflammatio huius visceris febrem semper comitem habet. Reliqua signa omnibus cordis morbis sunt communia, quae paucis itaque verbis allegare contueniet. Praeprimis anxieties praecordiales, omnem modum excedentes & terribiles accusantur, quia liber sanguinis egressus ex cordis ventriculis impeditur. Deinde obseruatur maxima respirandi difficultas ob circulationem per pulmones interceptam. Tertio spasmi reliquarum partium sensum tensionis atque



atque grauitatis, in thorace admodum exacerbatum, indu-  
cunt. Quarto pulsuum harmonia admodum turbata est  
quoniam influxus sanguinis cordialis non secundum ordina-  
rium tramitem procedit, ideoque pulsationum inaequalitas  
debilitas, intermissio & defectus oriuntur. Quinto ex retro-  
cessione humorum ad partes interiores extrema membra  
frigent, & sudor frigidus, praecipue in facie appetet. Sex-  
to sanguis in vasis cutaneis & praesertim sub vnguis stan-  
gnat & in putredinem abit; vnde maculae nigrescentes &  
liuor vnguium dependent. Denique omnes actiones totius  
oeconomiae animalis confunduntur, & hebetudo sensuum ori-  
tur. Quamquam vero commemorata signa communia sint,  
nihilominus tamen gradu pro diuersis morbis cordis diffe-  
runt. Ad summam horum morborum exacerbationem ple-  
rumque accedunt leipothymiae, sopores, deliria, conuulsiones,  
tetanus, emprosthotonus, opisthotonus, catalepsis,  
vitaeque imponunt

## F I N E M.



Diss. med. Hal.

g. 1763/64.

ULB Halle  
005 379 296

3






INAUGURALIS MEDICA  
ORDIS  
S PROPRIOS  
VLA EXHIBENS.

QVAM  
TE SVMMO NVMINE  
OSAE FACVLTATIS MEDICAE  
PRAESIDE  
O EXPERIENTISSIMO DOCTISSIMO  
**HRIST. IVNCKERO**  
ET MEDICINAE DOCTORE  
PVBL. ORDIN. PAEDAGOGII REGII  
TROPHEI HALENS. MEDICO  
CTICO CONSTITVTU  
**GIA FRIDERICIANA**

PRO  
**DOCTORIS**  
CINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS  
RVM RITE OBTINENDIS  
R. A. S. R. M D C C L X I I I .  
RVM DISQVISITIONI SVBMITTIT

AVCTOR  
**STIAN BÖCKMANN**  
ENOPOLITANVS.

  
ALAM AERE SCHNEIDERIANO.

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

